Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

dicens. Hac in die non est meum pro vobis in hoc periculo constitutis orare, sed est abbatis Cainnichi sancti viri. Mira dicturus sum. Eadem hora sanctus Cainnichus in suo conversans monasterio, quod latine campulus bovis dicitur, spiritu revelante sancto supradictam sancti Columbe vocem interioris cordis aure audierat. Et cum forte post nonam cepisset horam in oratorio eulogiam frangere, ocius deserit mensulam, unoque in pede inherente calceo, et altera pre nimia festinatione relicto, festinanter pergit hac cum voce ad ecclesiam: Non est nobis nunc temporis prandere, quando in mari periclitatur navis sancti Columbe. Hoc enim momento ipse nomen Cainnichi ingeminans commemorat, ut pro eo et sociis periclitantibus exoret Christum. Post hec illius verba oratorium ingressus flexis genibus paulisper oravit. Eiusque orationem exaudiente Domino illico tempestas cessavit, et mare valde tranquillum factum est. Unde deinde sanctus Columba Cainnichi ad ecclesiam properationem in spiritu videns quamvis longe conversantis, mirabiliter hoc de puro pectore profert vocem dicens: Nunc cognovi, o Cainniche, quod Deus tuam exaudivit precem. Nunc valde nobis proficit tuus ad ecclesiam velox cum uno calciamento cursus. In hoc itaque tali miraculo amborum, ut credimus, oratio cooperata est sanctorum.

Alio quoque in tempore supradicti memorati sancti viri ad sanctum convenientes, ab eo simul unanimes postulant ut ipse a Christo postulans impetraret prosperum crastina die ventum sibi dari diversa emigraturis via. Quibus sanctus respondens hoc dedit responsum: Mane crastina die Baitheneus a portu Ioue enavigans insule flatum habebit secundum usque quo ad portum perveniat Campilunge. Quod ita viri sancti verbum Dominus donavit. Nam Baitheneus plenis eadem die velis magnum totum pelagus usque ad Ethicam transmeavit terram. Hora vero diei eiusdem tertia vir venerandus Columbanum advocat presbiterum dicens: Nunc Baitheneus prospere optatum pervenit ad portum; ad navigandum te hodie prepara, mox Dominus ventum convertet aquilonem. Cui sic prolato beati viri verbo eadem hora auster obsecundans ventus se in aquiloneum convertit flatum. Et ita in eadem die uterque vir sanctus alter ab altero in pace aversus, Baitheneus mane ad Ethicam terram, Columbanus post meridiem Hiberniam incipiens appetere, plenis enavigavit velis et flatibus secundis. Hoc illustris viri virtute orationum Domino donante effectum est miraculum, quia sicut scriptum est omnia possibilia sunt credenti. Post illa die sancti Columbani egres-

sum sanctus hoc de illo propheticum Columba protulit verbum: Vir sanctus Columbanus cui emigranti benediximus nunquam in hoc seculo faciem videbit meam. Quod ita post expletum est. Nam eodem anno sanctus Columba ad Dominum transivit.

Alio in tempore quidam iuvenis Columbanus nomine quoadiacens tugurioli subito perveniens restitit, in quo vir beatus scribebat. Hic idem post vaccarum reversus mulsionem in dorso portans vasculum novo plenum lacte dicit ad sanctum ut iuxta morem tale benediceret onus. Sanctus dum ex adverso eminus in aere signum salutare manu elevata depinxit, quod illico valde concussum est, gergennaque operculi per sua bina foramina retrusa longius proiecta est; operculum terratenus cecidit; lac ex maiore mensura in solum defusum est. Iuvenculus vas cum parvo quod remanserat lactis super fundum in terra deponit, genua flectens supplicat. Cui sanctus: Surge ait Columbane, hodie in tua operatione negligenter egisti. Demonem enim in fundo vacui latitantis vasculi impresso dominice crucis signo ante infusionem lactis non effugasti. Cuius videlicet signi nunc virtutem non sustinens tremefactus toto pariter turbato vase velociter cum lactis effusione aufugit. Huc ergo ad me propius vasculum ut illud benedicam adproxima. Quo facto sanctus semivacuum benedixerat vas, eodemque momento divinitus repletum repertum est; parvumque quod prius in fundo lactis remanserat vasis sub sancte manus benedictione usque ad summum citius excreverat. Hoc factum subsequens in domo alicuius plebei divitis ubi cum sanctus hospitaretur inter rusticanos contendentes duos, quorum prius adventum prescivit, recta iudicatione iudicavit ut unusque eorum qui maleficus erat a sancto iussus de bove masculo quod preerat lac arte diabolica expressit. Quod sanctus non ut illa confirmaret maleficia fieri iussit, quod absit, sed ut ea coram multitudine destrueret. Vir itaque beatus vas ut videbatur tali plenum lacte sibi ocius dari poposcit, et hac cum sententia benedixit dicens: Modo probabitur non esse hoc verum quod putabatur lac, sed demonum fraude ad decipiendos homines decoloratus sanguis. Et continuo lacteus ille color in naturam propriam versus est, hoc est in sanguinem. Bos quoque qui per unius hore spacium turbida macie tabidus et maceratus erat morti proximus, benedicta a sancto aqua superfusus mira sub celeritate sanatus est.

Alio quoque in tempore vir beatus quadam nocte cum